

UNIVERSITY OF TORONTO  
CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

Ph.D. level Medieval Latin Examination

APRIL 17, 1991

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

---

1. SUFFERING OF THE WICKED AT DEATH (INNOCENT III)

Mali siquidem quatuor dolores patiuntur in morte. Primus dolor est angustia corporea, tanta et tam gravis quanta vel qualis nec fuit, nec est in presenti vita ante dissolutionem illam. Fortis enim et incomparabilis est violentia, quando nexus illi et physicales nodi inter corpus et animam dirumpuntur. Unde propheta lamentando ait: "Circumdederunt me dolores mortis". Nota: Circumdederunt me. Non est membrum, non est articulus in corpore quod penitus non involvatur illo inexplicabili dolore.

Secundus dolor est, quando iam plene defatigato corpore et suis exhausto corpore viribus, anima multo liberius videt tunc in momento occurrere omnia opera bona vel mala que fecit, que omnia reducuntur ante oculos interiores. Dolor iste tantus, et retractio ista tam gravis est, quod anima plurimum turbata cogitur quasi seipsam odisse. Unde dicitur: "Torrentes iniquitatis conturbaverunt me". Nota: torrentes cum multo impetu veniunt et videntur diruere omnia, ita in morte videbit malus omnia subito que ante fecit opera bona vel mala.

## 2. JASON AGREES TO PELLEUS' TREACHEROUS PLAN (GUIDO DE COLONNIS)

Intellectis igitur a Iasone singulis que in tantorum presencia circumstantium rex Pelleus protulit, gaudio exillaratus est multo, non attendens insidiosas regis austutias et eius dolositatis latebras non aduertens, ratus que dixerat de pure regis consciencie cellulla processisse potius in sui honoris incrementa sublimia quam in sue detrimenta persone. Confisus ergo de sue strenuitatis audacia nec reputans impossibile sibi esse quod regis fallax auditas exposcebat, regis mandatis se pronum gratanter exhibuit et se infallibiliter impleturum exposita cum omni deuocione promisit. Letificatus igitur Pelleus ad grata sui responsa nepotis indicte curie finem imposuit, appetens exequi uota sua post promissa predicta, quibus fortunam alludere iam presensit. Considerans ergo quod Colcos insula mari circumdata adiri non poterat nisi cum nauigalibus aptis ad maris discrimina substinenda, iussit ad se uocari de regno Thesalie quendam fabrum, Argum nomine, lignorum artificii multa discretione uigentem. Qui ad regis iussum mire magnitudinis quandam nauim in multa congerie lignorum extruxit, que de sui actoris nomine proprio uocata est Argon.

## 3. INNOCENT IV REFUSES A REQUEST FROM HENRY III

Bulla Innocencii pape quarti per quam non exaudit petitiones regis Anglie, uidelicet quod rex Scocie non possit inungi vel coronari sine licencia sua, et de decima ecclesiasticorum beneficiorum habenda. Registrata in magno libro.

Innocencius episcopus servus servorum dei, carissimo in Christo filio regi Anglie illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte tua fuit nobis cum instancia supplicatum ut tibi ne carissimus in Christo filius noster, rex Scotie illustris, absque tuo assensu inungi vel coronari posset, cum sit ligius homo tuus tibi que homagium fecerit, concedere curaremus.

Quia vero talia concedere sedes apostolica minime consuevit, non mireris si te non exaudivimus in hac parte, noveris tamen quod alicui non concederemus aliquid quod redundare crederemus in prejudicium regie dignitatis. Super eo vero quod petebas tibi decimam ecclesiasticorum proventuum in ipsius regno concedi, petitionem tuam, de quo non turberis, non admisimus quia quod hoc in alterius regno concederetur alicui est penitus inauditum. Dat' Lugdun' viij idus Aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

#### 4. BERNARD'S PROSECUTION OF ABELARD (BERENGAR OF POITIERS)

Omissis omnibus, Petrum Abaelardum quasi signum ad sagittam posuisti, in quem acerbitalis tuae uirus euomeres, quem de terra uiuentium tolleres, quem inter mortuos collocares. Corrogatis undecumque episcopis eum in Senonensi concilio haereticum pronuntiasti, ab utero matris Ecclesiae uelut aborsum praecidisti. Contionabaris ad populum ut orationem funderet ad Deum pro eo; interius autem disponebas eum proscribendum ab orbe Christiano. Quid uulgi faceret? Quid uulgi oraret, cum pro quo esset orandum nesciret? Tu uir Dei, qui miracula feceras, qui ad pedes Iesu cum Maria sedeas, qui conseruabas omnia uerba haec in corde tuo, purissimum sacrae orationis thus coram supernis obtutibus adolere deberes ut reus tuus Petrus resipisceret et talis efficeretur quem nulla suspicio inquinaret. Sed forsitan malebas talem, in quo reprehensionis idoneam nancisceris occasionem?

Denique post prandium allatus est liber Petri, et cuidam praeceptum est ut uoce clamosa Petri opuscula personaret.